



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De Residentia & personali debitæ seruitutis ministerio Canonorum,
Vicariorum, Officiantium, Beneficatarum aliorumq[ue] Clericorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

capere possit, designent eis extra chorum, vel altaria vel Oratoria, seu Sacella, vbi se omnes, in omni ordine ac deuotione contineant.

106. Vt à pompa funebri & lugubri illa processione, qua fidelium corpora religiosè ad sepulturæ locum efferuntur, ea offensionis præscindatur occasio, qua fit ex largiore potatione vini (quæ in prædiuitum sepultura, quando illi à prandio sepeliuntur, non rarò accidere solet) vt nonnulli sine vacillatione, aliaque reprehensibili nota pompam funebrem ad tumulum prosequi non possint: Prohibemus ne posthac Ecclesiasticis personis, siue regularibus, siue sæcularibus, dum ad deducendum funus conueniunt, ab vllis, cuiuscunque ordinis, conditionis, aut status illi fuerint, vinum propinetur; sed si qui eis pia voluntate, vel honorarij, vel beneuolentiæ causa dare aliquid decreuerint, loco vini, vel pecuniam dent, vel Symbolum, quod pecuniæ aut vino equiualeat. Quod quidem Decretum Pastores ad eorum notitiam perferent, quorum scire interest, & in vsum ac consuetudinem sua diligentia ducent.

DE RESIDENTIA ET PERSONALI DEBITAE SERVITVTIS

*ministerio Canonorum, Vicariorum, Officiantium,
Beneficiatorum, aliorumque
Clericorum.*

CVM ad diuini cultus maiestatem faciat, & decorem, I.
si diuina officia à quamplurimis psallentibus in vnum, reuerenter, distinctè, & deuotè peragantur; & Beneficia Ecclesiastica, ad diuinum cultum atque
Eccle-

In statutis
Anni 1406
16. Decemb.
publicatis, c.
40 pa. 213. d.

In Constit.
discipline Ec-
clesiasticae D.
Vvilh. 6. 33.
pa. 152. b. stat.
Frider. c. 45
p. 216 a. b.
Card. Caieta.
in opus 17.
responsionū
responsione 8
Nauarr. de
oratione &
horis Canon.
c. 9. num. 4. 5.
& c. & c. 10.
num. 4. 7. et c.
11. num. 4. 2.
Dominicus
Soto de iure
& iustitia l.
10 quest. 3.
artic. 1. et
alij.

Ecclesiastica munia obeunda sint constituta, vt qui ea obtinent diuina officia, in Ecclesijs quibus ascripti sūt, per se & non per substitutos suos obeant; non minori studio & diuini honoris zelo, quàm olim D. Fredericus Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Ecclesiarum Prælati, in virtute sanctæ obedientiæ mandauit, iisdem in eadem virtute præcipientes, mandamus; vt omni diligentia, sollicitudine, & qua præditi sunt autoritate in hoc incumbant, vt omnes Canonici, Vicarij, alijque Officiantes resideant, & personale debitæ seruitutis ministerium, quod propriè residere est, Deo & Ecclesiæ suæ præstent. Alioquin si in ciuitate aut in loco agent, vbi Collegium aut Ecclesia residentiæ suæ sita est, aut etiam intra Ecclesiæ aut Collegij sui immunitatem præsentem Ecclesiam non frequentent; sed tempus quod diuinis officijs dare deberent, comessationibus, aut alijs modis malè & inutiliter perdant; imò si in ipsa Ecclesia corpore quidem præsentem, at cum alijs diuina officia non peragentes, sed dum alij hoc agunt, ipsi aut fabulando, aut ambulando, vel etiam alicuius officij notabili parte obdormiendo, seu etiam sine iusta causa officium quod alij cantant, aut alias preces, vel quod peius est, vanas historias, aut fabulas legendo, alijsve modis cum alijs in officijs non communicant: residentiæ suæ non satisfecisse, & fructus ac distributiones assignatas lucrificasse, secundum veriore & securiorem Doctorum sententiam dici non possunt. Beneficium enim non datur nisi propter officium: quod eadem ratione, qua vnus aut plures se intermittere posse iudicat, alij itidem se id posse iudicabunt; ac ita fieri poterit, quemadmodum alicubi factum magno cum dolore cognouimus; vt vbi triginta vel plures simul adesse deberent, aliquando paucissimi, aliquando nulli adfuerint; maxima cum irreuerentia nominis Dei, Diuiniq; cultus diminutione, magnoq; populi scandalo & malo: dum

dum quod ad laudandum & placandum Deum est institutum, cedit in maiorem Dei offensionem: Et qui debebant esse omnis mali deprecatores, grauiorum plagarū, & afflictionum fiunt authores.

2. Ad extirpanda autem hac, & ad tuendam Canoniorum, Vicariorum, aliorumque Clericorum residentiam, obseruari imprimis volumus, cap. 41. & 42. Statutorum D. Friderici Archiepiscopi Coloniensis; nec non Bullam Innocentij eius nominis Octaui Pontificis Romani, pro declaratione, approbatione, & confirmatione dicti quadragesimi secundi capituli Statutorum D. Friderici, ab Hermanno quarto Coloniensis Ecclesie Archiepiscopo impetratam, & ab Adolpho tertio, eiusdem Ecclesie Archiepiscopo, in Synodo Diocesana die 2. Octobr. Anno 1549. innouatam; quæ sequuntur in hæc Pag. 461. d.

CAPVT 41. STATVTORVM DOMINI FRIDERICI Archiepiscopi Coloniensis.

Praterea statuimus, quod quicumque, *Canonicus, aut Vicarius,* Pag. 217.
 vel aliás in aliqua prædictarum Ecclesiarum Beneficiatus seu intitulatus, voluerit ex licita & rationabili causa abesse, teneatur à suo Prelato, seu ab illo vel illis, cui seu quibus, de iure vel consuetudine hoc competit, licentiam petere & obtinere: qua petita & obtenta, debet per aliam personam idoneam Beneficio suo, à quo se absentat, durante sua absentia, facere deserui-
 ri. Quod si non fecerit, volumus & præcipimus, vt per Decanū & Capitulum Ecclesie, in qua Beneficium huiusmodi est constitutum, minister substituatur idoneus, qui eidem Beneficio & Ecclesie interim deseruiat in diuinis, cui de fructibus & redditibus eiusdem Beneficij, mandamus per ipsos Decanum & Capitulum congruè prouideri.

Quicumque, verò sine licentia à suo Beneficio se absentare præsumpserit, etiam si per alium idoneum huiusmodi Beneficio deseruiat, nihilominus à perceptione fructuum ipsius Beneficij,

Fff

per

per illum ad quem id pertinet suspendatur. Saluis tamen in his rationabilibus Ecclesia obseruantijs, consuetudinibus & statutis, quibus per hanc Constitutionem non intendimus derogare, aut eis prauidicium aliquod generari.

CAPVT 42. STATVTORVM EIVSDEM D. Friderici Archiepiscopi Colonienfis.

Fig 214.
a Ca Liceat
vobis de
Præbendis
& dignita
tibus & ca.
Consuetud.
de clericis nō
residentibus
f. x. Decret.
lib. 3.
De hac re vi
de etiam Sta
tut. D. Henr.
Anno 1307.
ed. ca 10. f.
69 d. et Stat.
Freder. c. 51.
pag. 218 a. ac
ca 63 p. 225.
b. Item Cōc.
prouinc. sub
Herm. 5 par
te 3. c. 10. &
12 Conc. pro
uinc. sub a
dolp 3 in cen
suris, ca. Nō
mino. ii. pa
452 c. d.

Item vt Canonici, et alij predictarum Ecclesiarum Beneficia seu Clerici, Horis Canonicis, Missarum celebrationibus, alijsq; diuinorum officijs, dum in ipsis peraguntur Ecclesijs, curent frequentius interesse: Statuimus vt distributiones a quotidiana, in quibuscunq; rebus constiterint, qua pro defunctorum memorijs, vel alia quauis de causa in dictis Ecclesijs, Canonicis & alijs Beneficiatis earum dari consueuerant, & solent, non denentur, nisi illis qui huiusmodi officijs & memorijs tempore quo celebrantur & sunt in choris earundem Ecclesiarum praesentialiter intersint, licet in ipsis Ecclesijs praesentes existant.

Qui verò aliter de distributionibus ipsi quicquam receperint, (illis tamen quos infirmitas, seu iusta & rationabilis corporis, ac euidentis Ecclesia utilitas excusaret: nonnullis etiam Ecclesiarum Pralatis, quibus de antiqua ipsarum Ecclesiarum consuetudine, & obseruantia distributiones huiusmodi etiam in absentia sunt solite ministrari exceptis) rerum sic receptorum dominium non acquirant, nec faciant eas suas, imò ad omnium restitutionem, quae contra huiusmodi nostrum statutum receperint, teneantur.

Mandantes & districtè precipientes vniuersis administratoribus, pro tempore dictarum distributionum, vt statutum huiusmodi fideliter tenere & obseruare procurent. Alioqui contrarium facientes, ipso facto excommunicationis sententia innodamus.

Premissis insuper addendo statuimus, & sub pœna predicta mandamus, vt praefatae distributiones, quatenus facultates & vires bonorum & reddituum ad eas faciendas assignatorum patium.

priuntur, dentur horis, temporibus, & modis, & ad hoc per illos, qui eas de suis & aliorum bonis ordinarunt, rationabiliter constitutis, & prout hora, tempora & modi huiusmodi in libris Memoriarum cuiuslibet Ecclesie annotati & conscripti existunt.

Reprobantes penitus & omnino, detestabilem abusum, qui in quibusdam Ecclesijs inolevit, in quibus illi qui in commendatione animarum dum legitur Psalmus Miserere, presentes existunt, licet ante & post se absentauerint, Distributiones quae pro defunctorum memorijs largiuntur, integraliter percipiunt, ac si toti animarum officio, videlicet Vigilys, Missa & Commendationi praesentialiter interfuissent.

Item, ut his qui in duabus vel pluribus Ecclesijs nostrarum ciuitatis & Diocesis Canonici vel alijs Beneficiati existunt, vagationis & dissolutionis subtrahatur occasio: Statuimus & ordinamus, quod nemo deinceps vna die, in diuersis Ecclesijs in quibus Beneficia obtinet, quotidianas distributiones percipiat, nisi in aliqua praedictarum Ecclesiarum sit Pralatus, seu alijs ei hoc competat ex privilegio, vel iure alio speciali, ne, dum ad plures vno tempore festinat Ecclesias, nullis earum debitum famulatum impendat.

Vide Statut.
Herm. 4 f.
19. & 20 p.
273. d. 274. a

BVLLA S. D. N. INNOCENTII OCTAVI:

PER REVERENDISSIMVM DOMINVM
Hermannum eius nominis quartum Archiepiscopum
Coloniensem impetrata : declarans autoritate Apo-
stolica STATVTVM, quod nullus in diuersis Ecclesijs v-
no eodemque die distributiones quotidianas perci-
piat, ratione Beneficiorum suorum, obtinere
debere non modò in Canonicatibus
& Præbendis, sed & in Vi-
carijs.

INNOCENTIVS EPI- SCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, ad perpetuam rei memoriam.

EX Apostolica seruitutis officio, meritis quanquam in-
sufficientes, diuina nobis dispositione commisso, ad ea
libenter intendimus, per quæ in singulis Ecclesijs diu-
nus cultus floreat, & continuum incrementum suscipiat: ac illa
quæ propterea statuta & ordinata fuisse dicuntur, vt firmæ &
inconcussa permaneant, libenter, cum à nobis petitur, Apostoli-
co munimine roboramus, optimas prouisiones super his adhiben-
do, prout in Domino cognoscimus salubriter expedire.

Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Hermanni Archie-
piscopi Colonienfis, nuper nobis exhibita petitio continebat,
quod licet in Statutis & Consuetudinibus Ecclesiæ Colonienfis
Canonicè aditis, inter alia contineatur expresse, quod nullus in
diuersis Ecclesijs, in quibus beneficia obtinet, vno die Distribu-
tiones percipiat, nisi in aliqua dictarum Ecclesiarum sit Præ-
latus, seu aliàs hoc ei competat ex priuilegio, vel iure alio specia-
li, ne dum ad plures eodem tempore festinat Ecclesias, nulli ca-

rum debitum famulatum impendat: ipsumque statutum, quantum ad Canonicos diuersarum Ecclesiarum fuerit hactenus obseruatum, & de presenti obseruetur; tamen quoad personas, diuersas Vicarias, altaria, aut alia Beneficia Ecclesiastica, in diuersis Ecclesijs, seu Canonicatus & Præbendas in vna, ac Vicarias, altaria, seu alia Beneficia Ecclesiastica, in alia Ecclesijs obtinentes, in obseruantia non existit; pro eo forsân, quod nonnullæ ex ipsdem personis ab aliquibus Apostolicæ sedis Nuntijs, cum potestate Legati de latere, ad illas partes destinatis; se super hoc indulta, seu dispensationes dicunt impetrasse: Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, dicti statuti non obseruantia, sit occasio diminutionis diuini cultus, tam in maiori, quàm in alijs Ecclesijs Ciuitatis & Diocesis Coloniensis; pro parte præfati Hermanni Archiepiscopi nobis fuit humiliter supplicatum, vt statutum prædictum approbare & confirmare, ac perpetuò obseruari mandare, aliasque in præmissis oportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur attendentes, quod quò ad personas, talia Beneficia etiam mixtim obtinentes, ita concludit ratio Statuti, sicut in his qui diuersos obtinent Canonicatus & Præbendas, quodque statutum ipsum indistinctè loquitur; absurdum quoque videtur, quod illi tanquam inferiores alijs magis qualificatis, & pro statu suo sustentando, amplioribus stipendijs indigentibus, potiori debeant prærogatiua gaudere; huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum prædictum, quod etiam (vt asseritur) in Synodo Coloniensi publicatum, & per dictum Archiepiscopum innouatum exitit, autoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, nec non per omnes & singulas personas, etiam inferiora Beneficia, seu talia mixtim cum Canonicatibus & Præbendis in Ciuitate & Diocesi prædictis obtinentes, sub excommunicationis pœna, inuiolabiliter obseruari debere.

Et nihilominus Venerabili fratri Archiepiscopo Treuirensi, & dilectis filijs sancti Martini & sancti Pantaleonis Coloniensium Monasteriorum Abbatibus, per Apostolica scripta

mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios faciant auctoritate nostra. statutum predictum, per omnes & singulas personas predictas inuolabiliter obseruari: contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compefcendo.

Non obstantibus quibuscunque concessionibus, & indultis, seu dispensationibus, à quibuscung, Legatis seu Nuntijs dictæ Sedis eiusdem personis hæctenus concessis, & in posterum concedendis, quas ipsis contra Statutum huiusmodi in aliquo suffragari nolumus, contrarijs quibuscung.: aut si aliquibus communitatibus, vel diuissim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominũ licet hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, constitutionis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quadringentesimo, Nonagesimo primo: tertio Calendas Septembris, Pontificatus nostri Anno 7.

3. Quibus quidem prioris capituli verbis, vt rectè delicentia & facultate requirenda & obtinenda Canonicis alijsque Clericis præscriptum est; non tamen quantum hîc, ab Ecclesiæ Prælatis Canonicè permitti illis possit, est expressum: quod definientes, duorum aut trium ad summũ mensium spatiũ permitti posse pronuntiamus.

Artic. 24.
28.

Et iuxta ea quæ supra, cum de Prælatis ageremus, constitutum. Nam etsi Canonicorum aliorumque Clericorum residentia, non tam Ecclesiæ utilis sit & necessaria, quàm Prælatorum; minimè tamẽ decet, vt gregarius miles ab excubijs sit liber, vbi Dux sæper vigilat & stat in armis. Saluis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, que longius

longius seruitij tempus requirunt, sicut statuta D. Frederici, quatuor Clericis maioris Ecclesiæ Coloniensis, longius seruitij tempus, præscripserunt, dum eis quindecim tantum dies, consentiente Decano, abesse permittunt: alioquin præter distributiones quotidianas, primò amittat vnusquisq; dimidiam partem fructuum, quos ratione Præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit vsus negligētia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno fuerit lucratus, crescente verò contumacia, contra eos, iuxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur.

Cap. 53. pag. 218. d.

4. Pari modo & illa, eiusdem capituli verba interpretantes, quibus de sufficiendo in locum absentis deseruitore prouidè constitutum est, declaramus: Non tantum deseruitorem constituendum esse, qui absentis vicem suppleat in cantando duntaxat Euangelio, Epistola, Lectione, vel sacrificio Missæ faciundo, sed & (vbi haberi poterit) qui toto absentia tempore, totum officium diuinum cum alijs decanter, & eos voce & animo iuuans, diuinam maiestatem collaudet, atque concelebrat, ac pro peccatis populi vnà cum alijs publico Ecclesiæ officio, vnanimiter apud Deum intercedat.

5. Idem prout cap. 24. statutorum D. Valrami præscriptum est, obseruandum decernimus, quando is qui Beneficium recens obtinuit, tempore annorum gratiæ aut expectantiarum, vt statuta vocant, vigore extrauagantis Iohannis vigesimi secundi Romani Pontificis, fructus Præbendæ adire cupit, aut si hoc neglexerit, alius in eius locum subrogandus erit. Nec non quando quis ex Decreto Concilij prouincialis sub D. Conrado Episcopo Coloniensi habiti in locum erit assumendus alius Clerici, qui ob inscitiam cantandi aut legendi debitum in choro præstare non poterit.

Pag. 134. etc.

Cont. prouin.
sub D. Conrado
Episc. Colo-
niens. ca. 3 pag.
10 d.

6. A qua

Pag. 33.

6. A qua residentia obligatione, & facultatis absentandi se impetranda, nec non substituendi in locum suum, absentia suae tempore, deseruitore, cum minimè liberi sint Capellani Episcoporum, Regum, Praepositorum, etsi qui sint, qui similem libertatem sibi usurpant (eo dicitur taxat tempore excepto, quo pro utilitate Ecclesiae Dominis suis seruiunt) ad praedicta omnia praestanda à Decanis cogendi erunt. De illis quippe cap. 10. Statutorum D. Conradi Archiepiscopi Coloniensis statutum est. Quod residentiam in Ecclesijs suis, tanquam alij fratres faciēt, nisi illo tantum tempore, quando agunt suorum negotia dominorum, atque etiam si negotia Ecclesiae hoc exposcant.

Ibid d.

7. Ne autem per huiusmodi officium Episcopis, Regibus, & Praepositis, à Capellanis suis praestandum, Ecclesiae aliquando vel ad breue quidem tempus necessario aliquo membro carere cogantur; consultissime in Concilio Prouinciali sub Domino Conrado cap. 10. vetitum est, ne Decani, Scholastici, Choriepiscopi, Cantores, & Sacerdotes Ecclesiarum, vllatenus Episcopales aut Regales Capellani existant: Quam Constitutionem innovantes praecipimus, vt si qui Decani, Scholastici, Choriepiscopi, Catores aut Sacerdotes Ecclesiarum, huiusmodi officium susceperint, ante mensem à publicatione horum decretorum illud resignent: quod si non fecerint, illud extunc vacare decernimus, & ab eo penes quem fuerit collatio, in alium transferri posse ac debere.

Pag. 452. c.

8. Quod verò ad alterum caput, in quo de distributionibus agit, non alijs quam illis, qui in choro diuini officij peragunt, dilargiendis; rectè in Prouinciali Concilio, sub D. Adolpho tertio Coloniensis Ecclesiae Episcopo, Anno 1349. declaratum est: illos solos huiusmodi distributionum debere esse participes, qui Horis diuinis aut defunctorum exequijs seu memorijs à principio ad finem vsque intersunt, idque in habitu qualem temporis

ris & personæ conditio requirit.

9. Exceptionem autem illam eiusdem Capituli: *illis tamen exceptis, quos infirmitas, seu iusta & rationabilis corporis, ac evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*, exponentes: eui-^{Habetur ex- dem excep- tio ca unico de Cler non resident. li. 6.} dentem Ecclesiæ utilitatem intelligi declaramus, quando Canonici alijque Ecclesiæ ministri in negotijs Capituli aut fabricæ suæ Ecclesiæ, vel in negotijs Diocesis cū Episcopo, vel ex eius commissione occupantur, fraude tamen & dolo seclusis.

10. Similiter eos, qui vel sacrificant, vel audiunt confessiones, ipsa hora, qua hæc faciunt, pro presentibus habendos esse decernimus, modò tamen ad principales horas, iuxta Ecclesiæ suæ consuetudinem ingressum fecerint, & sacrificio suo, aut Confessionibus finitis, si nondum sit peractum officium chori, in ipsum redeant.

11. Fauore verò studiorum, eos qui ad docendum, vel in ipsis Ecclesijs Cathedralibus, aut Collegiatis, vel in Vniuersitatibus (quo ad Beneficia quæ in ipsis Vniuersitatibus possident) obligantur, ijs diebus quibus actu docebunt, aut publicis disputationibus intererunt, pro presentibus habendos esse statuimus, modò duabus de maioribus horis in die intersint.

12. Prædicatores quoque verbi Dei, qui ad hoc munus ab Ordinarijs deputati erunt, quibus diebus concionabuntur, eodem priuilegio gaudeant.

13. Qui autem huiusmodi onere aut officio ad quod ratione Præbendæ quam habent obligati sunt, non funguntur pro rata temporis; officij neglecti aut omisi, & distributionibus quotidianis & principalibus, Præbendæ suæ fructibus, perinde ac non residentes priuentur.

14. Vt hæc obseruentur, in singulis Collegiatis Ecclesijs constituatur Signator, qui præstito fidelitatis iuramento, diligenter annotet eos omnes, qui diuinis non intererunt officijs; aut si intererunt, canere cum alijs recusauerint; vel priuatim officium recitauerint; aut va-

Ggg

gando.

*Supra tit de
Prælatis, ubi
de Prælato-
rum residen-
tia agitur.*

gando, fabulando, vel alijs modis distributiones nõ pro-
meruerint; quas vsib⁹ præscriptis accrescere faciat, præter
illam distributionum partem, quæ iuxta laudabilem
consuetudinem, vel Ecclesiarum statuta, ratione labo-
rum & molestiarum Signatori cedere debet, quæ si defi-
nita non sit, nos decimam definimus.

15. Absentias singulorum, atque errata aliaque huius-
modi in certum librum referat, quem singulis minimũ
mēsis, Capitulo exhibeat. Exacto verò anno aut tem-
pore, quando facienda erit distributionum solutio, sub-
ductis ex eo diligenter rationibus, vt pro errorum
modo quisque distributionibus priuetur, illum Capitu-
lo tradat, in Archiuo perpetuò custodiendum.

16. Si quæ autem errata, aut absentias Signator aduer-
terit, sciensque notare noluerit, tantum ipse de distribu-
tionibus, sibi aliàs iure obuientibus eo ipso amittat;
quantum ille quem notare neglexit recusauitve, amit-
tere debuit: sciatque se, nisi facta illarum restitutione in
foro conscientie (etiam si aliàs peccatum eius probari
non valeat) absolui iure non posse.

17. Vt autem Signator suo muneri non desit, omni-
bus horis diuinis officijs interesse debet; nec omninò à
choro discedat, nisi missione à Decano, vel chori præ-
fecto impetrata. Si autem contra fecerit, vnus diei distri-
butionibus mulctetur, cuius rei exactio, & obseruatio
magistro fabricæ incumbet.

18. Quod si autem Signator aliquando à choro abef-
se cogetur, alium in locum suum substituet, non qui-
dẽm puerum choralem, Campanarium, Virgiferum,
seu ex laicis aliquem; sed Canonicum aut Vicarium, qui
à Decano aut eius Vicario idoneus iudicabitur: cui eo
nomine illa vel per absentes neglecta, vel per presentium
cul-

culpam perditæ distributionis pars accrescet, quæ Signatori debebatur.

19. In obseruandis autem illis, qui in Vniuersitate prælegere tenentur, Pedelli Signatoris subibunt officium, & pari obligatione ac commodo negligentias Professorum, ad Magistrum fabricæ & Signatorem singulis mensibus deferent. Cùm autem illi qui in Vniuersitate docendi officium neglexerint, eodem tempore in officio chori negligentes fuerint, & vel ratione neglectæ residentia, vel ratione commissorum errorum erunt mulctandi, vt & Signatori & Pedellis sua integra sit merces, præter illam partem, quæ ex distributionibus Signatori debebatur, tantundem ex alijs distributionibus quos mulctandi aliàs promeruerant, pro Pedello rummercede deducatur.

20. Cæterùm cùm quotidianæ distributiones, diuersis in locis, quorundam arte & infidelitate, vt nobis relatum est, multum sint accisæ, & in alium vsum conuersæ, alioquin pro temporum ratione satis tenues; ideoque ferè negligantur: ac præterea iniqua nimis illa consuetudo sit, vt fructus principales, siue corpus Præbendæ, ab vnus atque alterius diei residentia, imò ab obseruatione exigui momenti alicubi pendeat; videlicet vt qui tempore lecturæ, quam vocant, statuto tempore in domo Capitulari sese præsentem exhibuerit, omnibus principalibus totius anni Præbendæ suæ fructibus, seu toto Præbendæ suæ corpore fruatur, etiamsi reliquo anni tempore non refederit; & contra qui toto anno diligenter refedit, ac tulit totum pondus laboris, sudauit & alsit, omnibus principalibus totius anni Præbendæ suæ fructibus, quos diligentia sua eo anno meruerat, fraudetur, si casu aliquo, statuto diei illius momento inter alios non comparuerit; & idcirco residentia parua à multis habeatur ratio, vt qui non tam sunt solliciti,

vt debitum præstent Deo obsequium, quàm vt certi sint, seu per fas seu per nefas de annuo emolumento: Statuimus, vt præter distributiones quotidianas hætenus vsurparas & vsurpandas (si fortè alicubi quædam earum quorundã infidelitate oblitteratæ & antiquatæ fuerint, siue pecuniariæ illæ sint, siue frumentariæ, seu alijs in rebus existant) tertiam partem fructuum & quorumcunque obuentuum, tam Dignitatum, quàm Canoniatuum, Personatum, Portionum & Officiorum separari debere, & in distributiones quotidianas conuerti, quæ inter Dignitates obtinentes, & ceteros diuinis interessentes, proportionem conuenienti diuidantur. Salua tamen earum Ecclesiarum consuetudine, in quibus non residentes, seu non seruietes, nihil vel minus tertia parte recipiunt, non obstantibus exemptionibus, ac alijs consuetudinibus, etiam immemorabilibus, & appellationibus quibuscunque.

Reg. 14.

21. In distributionibus, abolenda est hæc consuetudo, quæ potius corruptela & auaritiæ filia dici debet, quã videlicet panes Præbendales, vt Concilium Prouinciale sub D. Conrado habitum, cap. 11. meminit, in certum numerum excrefcere permittuntur, vt tandem pretio redimantur. Cùm enim hac occasione pereat hospitalitatis occasio, quo nomine panes illi magni solent esse ponderis, & ad illam reducendam ex eiusdem Concilij præscriptione singula Collegia commune teneantur habere pistrinum; quod licet nunc plerisque locis extet, idem nihilominus vitium in Clerum irrepsit: Statuimus, vt qui panem Præbendalem in specie non receperit, sed illum in certum numerum excrefcere permiserit, vt pro panibus pecuniam, aut certam frumenti mensuram recipiat, eadem pecunia vel illo frumento priuetur, & in vsum fabricæ aut sacrarij vel alterius loci, aut rei piæ conuertatur, non obstante temporum difficultate & angustia, quam ad tegendam vitij huius deformitatem & turpitudi-

pitudinem, quidam forsitan caufabuntur. Hæc enim tēporum difficultas, rerumque angustia, non auaritia & tenacitate, sed beneficentia & communione superanda est: huiusmodi enim hostijs, inquit Apostolus, promeretur Deus. Hebr. 13.

22. Ne autē illi qui toto anno in officijs diuinis semper fuerunt præsentēs, nihilque quod sui erat officij prætermiserunt, omne quod toto anno promeruerant, per vnus diei absentiam leui casu perdant, & vt præterea vnà cum necessitate residentia, beneficiorum excludam⁹ pluralitatem: Statuimus vt reliquæ tres, quæ supersunt, principalium annuorum fructuum, seu corporis Præbendæ aut dignitatis partes, non vnus diei momento, nec quidem vno duntaxat die aut duobus, sed quatuor præcipuis anni festiuitatibus (quibus merito diebus, omnes Ecclesiæ ministri in suis Ecclesijs præsentēs esse debent) promereantur: videlicet Natiuitatis Dominicæ, Pasche, Pentecostes, & Dedicacionis Ecclesiæ. Vt si quis singularis istorum dierum horarijs officijs, ab initio vsque ad finem non interfuerit, & personaliter competens seruitium non præstiterit, quartam annuorum fructuum partem, quam tunc mereri potuisset, amittat, nec eius quoquo modo dominium acquirat, sed fabricæ Ecclesiæ applicetur, aut in alium pium vsum, vtpote erigendi seminarij, aut dotandæ scholæ, simile sive causas pias conuertatur. In quem finem peculiare faciendum erit gazophylacium, in quo huiusmodi pecuniæ coaceruari tuto poterunt. Nec alicui dispensatio super pluralitate Beneficiorum prodesse contra hanc Constitutionem possit, nisi expressè simul dispensatum fuerit, quod præactis diebus non residens stipendium residentibus duntaxat debitum adire possit.

23. Vbi tamen alicuius Collegij seu Ecclesiæ consuetudo, vel statuta plures dies, seu aliam rationem, & temporis distinctionem requirunt; quæ Canonicos aliosque

Ggg 3

Eccle-

Concil. Agath.
thens. cap. 39.
c. 7. qu. 1. c.
Si quis.

Ecclesiarum ministros arctius ad residendum constringunt, ac Beneficiorum pluralitatem magis excludunt: illa hac Constitutione nostra minimè sint abrogata, sed inuiolata omninò ab omnibus seruentur.

24. Ex cuius Cōstitutionis & Decreti nostri obseruatione, ne quis se nimis grauatam queri possit, quod raro aut nunquam trium mensium spatio, ab Ecclesia sua abesse poterit: in arbitrio & potestate Decanorum relinquimus, vt sicut iusta de causa certum & Canonicum, quotannis, non residendi tempus, Canonicis, alijsque sibi subiectis permittere possunt; ita vnum quoque ex quatuor dictis diebus (fraude & dolo cessantibus) relaxare possint, si ille in illud interuallum inciderit, quo quicquam abesse cogetur, & alias Canonicè permitti poterit.

Pag. 81 d.
Pag. 212. b.

25. Ad presentem porrò hunc locum pertinent, quæ cap. 15. Concilij Prouincialis Anno 1310. sub D. Henrico habiti, & cap. 38. Statutorum D. Frederici ad personale debite seruitutis ministerium præstandum, Ecclesiæ ministris præscripta sunt. Quæ vt obseruentur, & nec istos lateant propter quos decreta sunt, nec hos fugiant, qui exequi eadem tenentur, hoc loco ad verbum inferenda fuerunt.

Cap. 15. Stat.
Conc. pronin.
sub Henrico
pag. 81. c. d.

Vicarij Ecclesiarum Collegiatarum, vel aliarum Ecclesiarum, ad Ordinem quem onus Beneficiorum suorum requirit, à tempore susceptorum Beneficiorum promoueantur, & personaliter resideant in eisdem. Alias eisdem Vicarijs seu Beneficijs, si non promouentur, nec personaliter eas deseruerint, ipso facto post lapsum anni, iuris impedimento cessante, sint priuati, & Collatores earundem Vicariarum, seu Capellaniarum de ipsis, personis alijs (id facientibus) studeant providere. Idem de Vicarijs iam existentibus volumus obseruari, ne votum Christi fidelium, qui huiusmodi Vicarias pro remedio anime sue, vel pro cultu diuino ampliando instituerunt, & dotauerunt easdem, per talium non promotorum, & non deseruentium negligentiam defraudetur. Beneficiati quicumque in nostra Coloniensi vel alijs Collegia-

tis Ecclesijs civitatis & Diœcesis prædictarum, qui Dignitates, Personatus, officia seu Præbendas, vel alia Beneficia Ecclesiastica, quibus certi Ordines sunt annexi, aut debentur pacifice nunc obtinent aut obtinebunt in futurum: si legitimo cessante impedimento ad huiusmodi Ordines, quos Dignitates, Personatus, officia seu Beneficia requirunt, quovis modo etiam de consuetudine vel de iure, si Subdiaconalis vel Diaconalis ordo forsan existit, intra sex menses: si verò Presbyteralis ordo fuerit, intra annum à tempore pacificæ possessionis adeptæ, Beneficiorum prædictorum, se promovendi non fecerint, ex tunc à perceptione fructuum Beneficiorum eorundem, quæ huiusmodi requirunt, sint ipso facto auctoritate præsentis nostri statuti suspensi: quos, deductis oneribus eisdem Beneficijs incumbentibus, in usus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiarum, in quibus Beneficia ipsa consistunt decernimus convertendos. Quam suspensionem si postmodum huiusmodi Beneficiati per sex menses contumaciter sustinerint; volumus & mandamus, ipsos dictis suis Beneficijs huiusmodi Ordines requirentibus, ex tunc per suos Superiores, ad quos hoc pertinet, omnino privari, & illa alijs idoneis conferri personis, qui velint & possint ad huiusmodi Ordines intra tempus prædictum Canonice promoveri, pœnis alijs quæ contra tales promoveri ad Ordines recusantes statuuntur in iure, nihilominus in suo robore duraturis.

26. Quia verò etiam per annos gratiæ seu expectantiarum, quos vocant, multum diuinis officijs detrahitur; & ut consulatur defuncto, & Ecclesiæ fabricæ Deus ipse negligitur, & defuncti Beneficiorumq; fundatores, multarum personarum suffragijs ac intercessionibus, multis quandoque annis fraudantur: ideo q; illos Archiepiscopi Colonenses, & moderandos esse censuerint, & certis duntaxat præscriptionibus admittendos; quæ partim temporum longinquitate, partim Prælatorum negligētia, ac inexplebili quorundam avaritia, auctoritatis suæ vigore perdidit, ac frequenti inobedientium multorum transgressione, ita cõculcatæ sunt, ut iam rarus aut nullus sit, qui earum.

Cap. 38. Stat.
 Fr. deric. pa.
 212. b.

Cap. 24. Stat.
 Valram p.
 134. b. c. d.
 Conc. provin.
 sub Herman.
 5. part. 3. c. 21.

earum reuerentia prohibitus, non transgrediatur terminos, quos posuerunt patres sui: Erigenda nobis ista sepes est, ac nouis firmamenti confirmanda. Innouamus itaque extrauagantem Ioannis vigesimi secundi Romani Pontificis, quæ incipit, *Suscepti regiminis*: hinc olim à diuersis Archiepiscopis publicatam, & obseruari volumus Constitutionem F. R. Pij Quinti, cuius initium est: *Dudum nimis & incommodum*: super præsentis re, Anno 1570. 13. Julij æditam, Necnon & Constitutionem D. Frederici cap. 44. Statutorum eius digestam, quorum exempla sequuntur.

CONSTITVTIO EXTRAVAGANS
Iohannis Papæ XXII.

Pag. 136. in
Statut. S. de
S. C. de Res.

*S*uscepti Regiminis nos cura sollicitat, ut quæ in Ecclesijs non *S*ubsq. dispendio ministrorum & cultus detrimento diuini seruari videamus, per appositionem congrui moderamus, in melius reformemus. Cum itaq. in nonnullis Ecclesijs obseruetur, & à longis retroactis temporibus fuerit obseruatum, quod fructus primi vel secundi, aut alterius cuiusque sequentis anni Beneficiorum vacantium in iisdem, defuncto vel fabrica aut Ecclesijs vel personis habentibus annata, de consuetudine, priuilegio vel statuto applicentur in totum: ita quod illi qui huiusmodi Beneficia Canonice obtinent, & ad quos aliàs de iure fructus ipsi spectare deberent, nihil inde percipiunt: unde illud inconueniens sequitur, quod commodè nequeunt, ad impendendam seruitium debitum residere in Ecclesijs, in quibus Beneficiati existunt.

Nos de illo super his remedio providere volentes, per quod hi & illi in fructuum perceptione prædictorum participant, & Ecclesie debitis seruitijs non fraudentur præsentis Decreto statuimus de fratrum nostrorum consilio, quod illi qui fructus prædictos sibi hæctenus integrè vendicabunt ex priuilegio, de consuetudine vel statuto, nihil exinde ultra summam, pro qua vnum.

numquodque Beneficiorum ipsorum consuevit in decima solutione taxari, prae textu cuiusvis privilegii, consuetudinis vel statuti quouis modo percipient: sed ipsius summa perceptione dumtaxat sint omnino contenti, totali residuo praedicta obtinentibus Beneficia remansuro, nisi forsan illi qui fructus eosdem soliti fuerint (ut praefertur) cum integritate percipere pro se malent ipsum habere residuum, & obtinentibus ipsa Beneficia summam dimittere memorata: quo casu percipiendi quod maluerint illis relinquimus optionem sic quod intra decem dies, postquam sciuerint Beneficia ipsa vacare, ij quibus annalia ipsa debentur ex privilegio, consuetudine vel statuto, aut ipsorum annalium Collectores, quam partem habere voluerint, an scilicet decima taxationem, vel illa dimissare residuum (nulla subhastatione praemissa) eligere teneantur. Quam electionem si intra dictos decem dies non fecerint, ut est dictum, ex tunc ad eum cuius est Beneficium huiusmodi optio vel electio transeat ipso iure. Et hoc in Ecclesijs & partibus illis, in quibus Beneficia maiora, & alia quantum ad solutionem decimae, sunt taxata, volumus obseruari.

In illis vero partibus & Ecclesijs, in quibus decimarum taxatio non est facta, seruetur, quod fructus & obuentiones Beneficij tunc vacantis, quos in decima soluere consuevit, per medium diuidantur, quorum medietatem habeat is, cui annalium per alterum de praedictis modis perceptio est concessa. Reliquam vero medietatem percipiat ille, cui Beneficium est concessum pro sustentatione sua, & alijs Ecclesiae oneribus supportandis: quorum si alter de praedictis, praedicta medietate voluerit esse contentus, altero contentari nolente, pars volentis ipso iure transeat ad nolentem, & volens fructus & obuentiones illius Beneficij percipiet vniuersos, eidem Beneficio congrue faciens deseruiri, ac eius supportans onera consueta.

Et si quicquam aliquis praedictorum ultra praemissa perceperit, illudque his ad quos pertinebit, intra mensem non restituerit, cum effectu; eo ipso, si Episcopus, vel Superior Prelatus fuerit, à Pontificalibus & ingressu Ecclesiae nouerit

Hh

se sus-

se suspensum: si autem Capitulum, & niuersitas, vel Collegium; Ecclesiastico interdico se nouerit (donec praedicta cum integritate restituerit) subiacere. Si uero aliqua singularis persona Ecclesiastica, vel mundana id fecerit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, à qua nisi restitutione praemissa (praeterquam in mortis articulo) minimè absoluat, non obstantibus quibuscumque Priuilegijs, vel indulgentijs, aut contrarijs consuetudinibus, aut contrarijs Statutis, iuramento, confirmatione sedis Apostolicae, aut alia quacumque firmitate uallatis. Qua omnia, quò ad haec, auctoritate Apostolica reuocamus, cassamus, & irritamus, & nullius deinceps esse volumus firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis, reuocationis, cassationis & uoluntatis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentauerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Datum.

Auinionē Kalēdis Nouemb. Pontificatus nostri Anno 11.

(***)

SANCTISSIMI
D. N. D. PII PAPÆ V. RE-
VOCATIO PRIVILEGIORVM ET STA-
utorum:

*Quod fructus Beneficiorum primi anni aut alterius
temporis ex quo vacarunt, cedant Capitulo, vel alij loco. Qui
verò sunt concessi fabricæ seu Sacristiæ, seu pio vsui
ultra semestre, deinceps sint illius pro di-
midia, reliquum capiat Bene-
ficiatus.*

PIVS EPISCOPVS SERVVS
SERVORVM DEI, AD PERPETVAM
rei memoriam.

DVRVM nimis & incommodum arbitramur, quod
Ecclesiarum ministri in ijs quæ ad ipsorum sustentati-
onem suppeditantur, dispendia patiantur. Quocirca
cum hanc ad rem, simulq; prohibendam ab Ecclesia Dei auaritiæ
prauitatem, editas ante hac sanctiones minime satis esse intel-
ligimus, nouæ Constitutionis subsidio cogimur providere. Cum
itaq; aliàs ex plurium Ecclesiarum Cathedralium & Collegia-
tarum constitutionibus, aut ex praua consuetudine, obseruari
intelligeretur, vt in electione, presentatione, nominatione, in-
stitutione, confirmatione, collatione, vel alia prouisione siue ad-
missionem, ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesiæ, vel Be-
neficij, Canoniciatum aut Præbendarum, vel partem prouen-
tuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu
deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensatio-
nes seu illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesijs dicuntur Tur
norum lucra, interponerentur, licet sancta Synodus Tridenti-
na, hæc detestata mandauerit Episcopis, vt quæcumque huius-
modi in vsus pios non conuerterentur, atque ingressus eos, qui

Concil. Trid.
sess. 24. ca. 14.
de reformat.
mandauit E-
piscopis vt
prauas con-

Hhh 2

Simo-

fuetudines *Simoniaca labis, aut sordida auaritia suspitionem haberent, se-*
Ecclesiarum *ri non permitterent, ipsiq; diligenter de eorum Constitutioni-*
Collegiataru *bus, siue consuetudinibus, super predictis cognoscere, & illis*
& Cathedra *tantum quas probarent exceptis, reliquas ut prauas & scanda-*
lium, aliquid *losas reuocarent; eos vero qui aduersus predicta quavis ratione*
recipiendi in *commississent, pœnis contra Simoniacos editis teneri decreue-*
provisionibus *rit: multorum tamen indomita cupiditate tam predicta, quam*
Beneficioru *alia ad Beneficium & commodum ipsorum ministrorum adita,*
reijcerent. *aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus tractata, per-*
peram eluduntur.

Hic Pōtifex *Quare nos pro diuini cultus exercitio, simulq; euocato eoru*
modò reuo *ad illu auxilio plenius, euidentiusq; consulendum fore rati, re-*
cat consuetu *uocamus, & abolemus omnia, & quacunque priuilegia, consue-*
dines & Con *tudines & statuta, quarumcunq; Ecclesiarum Cathedralium,*
stitutiones *& Metropolitanarum, ac maiorum, nec non Collegiarum, et-*
huiusmodi *iam iuramento, confirmatione Apostolica, aut alio quouis presi-*
diō munita, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo
ac quantocunq; tempore, etiã continuò obseruata, siue pro persol-
uendis Ecclesiarum vel Prelatorum debitis siue pro supportan-
dis illorum oneribus, siue alijs etiam maioribus, maximis urgen-
tissimis causis, concessa & approbata, ac etiam multiplicatis vi-
cibus innouata, extensa & moderata, quod vacantibus ipsarum
Ecclesiarum Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, Portioni-
bus, Beneficijs, & Officijs, fructus, ac etiam quotidiane distribu-
tiones, ex eis primò ab ipsa vacatione anno, aut longiore, vel et-
iam breuiore tempore prouenturi, mensa Episcopali, seu Capi-
tulari, aliove loco integrè vel partim remaneant seu applicen-
tur, aut in communes vsus cedant, seu inter alios Canonicos &
personas Ecclesie, seu Capituli diuidantur; quodq; nullus etiam
Apostolica auctoritate prouisus, in Canonicum recipi, aut ad
Dignitatem seu Portionem, Beneficium vel Officium admitti,
vel aliàs in eius possessionem induci possit, nisi prius de obserua-
dis huiusmodi priuilegijs, consuetudinibus, & statutis, iuramen-
tum prestiterit, & obtenta illorum derogationi, ac fructuum &
distributionum perceptioni renunciauerit, seu Capitulo & per-
sonis predictis cesserit, seu (ut appellat) dulciaria, aut quid aliud
proffi-

præstiterit quorum omnium tenores, causas & effectus habemus præsentibus pro expressis, quibuscumq; illa concepta sint formulis, nec non irritantibus & alijs decretis roborata: volentes ea omnia vires & effectum de cætero non habere.

Præcipimus igitur & interdiciamus, omnibus Episcopis, Capitulis, Collegijs & personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus, aut distributiones huiusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renunciationem aut dulciaria, vel alia quomodocumq; petant, vel exigant, aut quæquam, siue ordinaria, siue Apostolica auctoritate prouisum, ad præstandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediunt vel remorentur.

His conformia sunt quæ habentur in fine cap 43. Stat. D. Freder. pa. 215 b

Quicumq; contra fecerint, si Ecclesiarum Antistes; tam diu à Pontificali officij exercitio sint suspensi, donec satisfactione præuia illis per sedem Apostolicam suspensio relaxetur: Capitula verò & Collegia quæcumq;, Ecclesiastico subiaceant interdicto; ac singulares persona in excommunicationis sententiam incurrant, à qua nisi in mortis articulo constituti, ab alio quàm à Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes huiusmodi præstita iuramenta non tenere, nec quæquam illis obligari: Quinimò iurantes in huiusmodi censuram incidere: Nec nõ irritum & inane quicquid secus super his, per quoscumq; scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Et nihilominus statuimus, ut ubicumq; huiusmodi fructus, & distributiones fabricæ vel Sacristiæ, aut alterius pyloci visibus, ultra semestre tempus reperiuntur concessi; horum duntaxat dimidia pars ipsi Sacristiæ vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur; alteram verò beneficiati prædicti integrè percipiât.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac contrarijs quibuscumq;, aut si aliquibus communiter vel diuissim ab Apostolica sede sit indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari nõ possint, per litteras Apost. non faciètes plenã & expressã, ac de verbo ad verbũ, de indulto huiusmodi mentionẽ; Decretum prædictæ Synodi, ac etiã Constitutionem, fere. Iohan. Papæ 22. quæ incipit, Suscepti; & alijs iuribus hac de re disponentibus, nihilominus aliàs in suo robore duraturis.

Ceterū per prædicta non intendimus illis præiudicare Capitulis, Collegijs, mensis, aut personis, fructus & distributiones, inter vacationem Beneficiorum & eorum collationem, siue possessionis apprehensionem prouenientes, ex statuto, consuetudine, vel priuilegio huiusmodi percipientibus, vel retinentibus, quo minus ipsi illos interim, ut antea exigere valeant & habere.

Postremò volumus, ut presentium exempla etiam impressa, Notarij publici manu & Prælati Ecclesiastici, eiusve Curie sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem ubique locorum, in iudicio, & extra illud faciant, quàm facerent ipsæmet presentia, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, præcepti, interdicti, decreti, statuti, intentionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo. Pridie Calen. Iulij, Pontificatus nostri Anno 5.

Ca. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini nostri 1570. indiçione tertia decima, die verò tertia decima Iulij Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno 5. retrospectæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de vrbe, ad valuas Ecclesie S. Ioan. Lateranensis, & ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Scipio de Octauianis & Ant. Clerici cursores Apostolicos.

Stephanus de Olea

Mag. Curf.

CAP.

CAP. 44. STATVTORVM, A D. FREDERICO Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo
æditorum.

Quia VValramus prædeceſſor noſter præſatus, ne Præbendas
 Eccleſiarum, in quibus vacantibus Præbendis fructus ea-
 rum per certos annos deſuncto, & Eccleſiis de conſuetudine ap-
 plicantur, nimis diu ſuis ſeruitoribus & miniſtris carere con-
 tingat, alijsq; legitimis rationibus motus, duxit providè ſtatuen-
 dum, vt nulla Eccleſia ciuitatis & Diœceſis Colonienſis, ſibi &
 deſuncto ultra quadriennium fructus Præbendarum ipſius Ec-
 cleſiæ vacantium, etiam ſi durantibus annis expectantiarum
 vacent, pluries ſucceſſiue, vendicet vel uſurpet: ſepe dubita-
 tur à multis, Si aliquis Canonicus, poſt completum dictorum
 annorum numerum ad perceptionem fructuum Præbende ſue
 ſic admiſſus decedat, vel Præbendam ſuam ſimpliciter, vel per-
 mutatione, vel alia quauis ex cauſa, reſignet, ſeu dimittat, v-
 trum dictum ſtatutum etiam locum habeat in hoc caſu. Nos du-
 bitationem huiusmodi, in caſu præmiſſo locum habere declara-
 mus, ipſumq; ſimilitudine rationis inducti, ad eundem caſum
 extendimus, & prorogamus, mandantes, & ſub pœna ſuſpenſio-
 nis ab officio, & Beneficio diſtrictè præcipientes, vt ſucceſſor in
 tali Præbenda, ſine ulteriori expectatione, ad perceptionem fru-
 ctuum illius Præbende, qualibet difficultate ſemota, beneuolè
 admittatur, non obſtante contraria conſuetudine, ſi qua forſan
 ab aliquibus prætendatur Eccleſiis vel perſonis de factò ſerua-
 ta, quam, utpote abuſionem & corruptelam, penitus abole-
 mus.

pag. 215.
 Quæſtio de
 quatuor an-
 nis expectan-
 tiarum.

Declaratio

cap. 24. pag.
 136. b.

27. Quibus duo ex D. VValrami ſtatutis adiungentes;
 volumus vt Canonicus, Vicarius, aut alius quilibet Cle-
 ricus tempore annorum gratiæ, ſeu expectantiarum re-
 ſidens, præter illam corporis, ſeu principalium fructuum
 partem, quæ illi iuxta præſcriptas Conſtitutiones debet-
 tur, diſtributionum quotidianarum perinde ac alij reſi-
 dentes ſit particeps, & ad Conuentus Capitulares, dum-
 modo

modò aliàs fuerit habilis, admittatur atque vocetur, idemque cum alijs ius dicendi suffragij habeat.

Ibid. 28. Quæ quidem omnia non solum ad Beneficia, Præbendas & Dignitates quæ vacaturæ sunt; sed & quæ nunc vacant, & quorum anni gratiæ seu expectationis licet incepti sint, nondum tamen sunt finiti, referenda esse discernimus. Quemadmodum hoc ipsum, cap. 24. Statutorum D. VValrami decretum inuenitur, non obstante quavis alia Constitutione, etiam iurata seu qualibet alia consuetudine.

Conc. provin. sub Herman. 5. parte 3. ca. 4 pag. 357 a. 29. Præter hæc, quæ ad tuendam, & confirmandam ministrorum Ecclesiasticorum residentiam, & ad promouendum hac ratione diuinum honorem hæcenus recensita sunt: commodum Ecclesiarum ministris, magnumque ad præstandum personale Ecclesijs ministerium foret incitamentum, si quisque propè Ecclesiam cui feruit suam haberet habitationem. Quod prioribus sæculis magna sedulitate, magnisque sumptibus & laboribus, cum alibi, tum in hac præcipuè sancta Ciuitate Coloniensi, ac celeberrima Diœcesi, multis de causis curatum fuit. In primis voluerunt sanctissimi illi Patres, omnes Ecclesiæ ministros, à promiscua laicorum conuersione & consuetudine esse segregatos, & extra omnes huius mundi turbas, ab omni re, quæ animi intentionem distrahere aut remittere posset, liberos. Voluerunt præterea illos semper in oculis esse suorū Superiorum, quò hi de illorum vita & conuersione nunquam non certi esse possint, & illi nihil inordinatè agere, quod non à vigilantibus super illos Superioribus aduerteretur, & quàm primùm curaretur. Voluerunt denique omnem excusationem sublatam, qua vel per viam longitudinem & difficultatem, aut dissona horologia, vel laicorum interpellationes, atque rationes similes, à frequentando templo sese excusare possent: & contra, magna ista habitationis commoditate & vtilitate, eos ad residendum inui-

care & cogere studuerunt. Quæ omnia, contra primam institutionem, & sacrorum Canonum sanctionem, peruersa & immutata sunt, & domus, quæ olim solùm Canoniorum aut Canonissarum, aliorumue ministrorū Ecclesiasticorū habitationi comparatę ac dedicatę erāt, nunc laicis coniugatis, mercatoribus, forsitan etiam alibi hæreticis locantur, & qui eas inhabitare debebant, quorumq; domus propriae sunt, procul ab Ecclesia, suorumq; Superiorum conspectu, vel obscuro loco apud laicos, vel nobili, in aulis Principum, vel alibi subinde parū religiosè viuunt, nihil de residentia & ministerio quod Ecclesijs debent, (à quibus sustentantur) solliciti: vt videre sit quarundam Collegiatarum Ecclesiarum immunitates, quæ olim muris, & portis, à laicorum habitatione separatæ erant, & tantùm ab Ecclesiasticis personis, quæ in Ecclesiarum ministerio, diuinoque quotidie seruebant officio, inhabitabantur; nunc excepta vna atque altera domo, à solis laicis inhabitari, omneque immunitatis pristinae, ac claudendarum portarum ius perdidisse: & vbi olim omnes residebant, ac magna cum reuerentia nominis Dei diuina officia obibant, nunc alicubi paucos residere, & diuina officia in Ludimagistrum, & aliquot cantores, vel aliquot pueros reiecta esse; quibus cū exiguum decretum sit stipendium, pro precio illi faciūt, vt opus appareat, vt aliquando præstaret eos tacuisse, quàm diuinas laudes tam irreuerenter decantasse. Irreperunt hæc sensim, partim per Superiorum incuriam & negligentiam, partim per Canoniorum, Canonissarū, aliorumque Ecclesiæ ministrorum nimiam vitæ licentiam, & irreligiosam atq; inconsideratam temeritatem; quorum nonnulli dum sub censura ac disciplina Superiorum suorum viuere, & personale seruitutis ministerium Ecclesijs præstare, graue arbitrabantur; quotidianarum distributionum iacturam, quam absentes faciebāt, elocatarum domorum suarum quæstu, humana qua-

dam prudentia refarcire studuerunt; vt iam dissolutionis vitæ & absentia diuturnioris, aut perpetuæ, inde fomentum accipiant, vnde vitæ sanctioris, & residentia perpetuæ necessitatem sibi impositam gaudere debent. Quare vt quæ vigili quondam Archiepiscoporum Coloniensium cura ad promouendum diuini nominis honorem, & Ecclesiasticam disciplinam conseruandam fuerunt constituta, posterorum negligentia diutius non seruiant, ad diuini honoris diminutionem, & disciplinæ Ecclesiasticæ eneruationem; sed eodem fructu ad diuini honoris celebrationem, vigoremque disciplinæ Ecclesiasticæ restituantur, quo primitus claruerunt: In nouamus, quæ cap. 70. & 71. super hac re in statutis D. Frederici Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi decreta sunt, & quæ ille maioris Ecclesiæ Capitulo duntaxat præscripsit, nos omnibus vtriusque sexus Collegiæ Ecclesiæ Capitulis, sub iisdem poenis obseruanda præscribimus. quodque vetuit ne vnus pro se aut pro suis duas habeat domos, non ad eos tantum referendum decernimus, qui duas in vno Collegio domos habent, sed & ad illos, qui vnâ in vno Collegio habent, & aliam in alio.

CAPVT LXX. STATVTORVM D. FREDERICI Archiepiscopi Coloniensis.

pag. 227.

Preterea Capitulo nostro supradicto, & singularibus personis eiusdem sub suspensionis & interdicti poenis, districte inhibemus, ne vendant, committant, vel locent, vel alio quouis modo quasito colore assignent vni Canonico vel alteri cuiquam in Ecclesia Coloniensi beneficiato, plures domos Canonicas proprias suis & suorum: & domum pro tempore habens Capitulari rem siue hereditariam, à dicta Ecclesia tamen dependentem, si aliam habere procurauerit, vel affectus fuerit, ex successione hereditaria, ex concessione, venditione, vel assignatione Capitulari, vel aliâ quomodolibet, ille domum suam priorem,

tem, si hereditaria foret, intra annum continuum, à die acquisitionis secunda computandum, in Capitulo, Canonico Ecclesia eiusdem vendere, vel aliàs ius suum, quod ipse habet, dimittere liberè teneatur, dummodo emptorem pro competenti precio habuerit. In quo precioso concordare nequiverint, illud Capitulum vel maior pars eius, super suis conscientijs taxabunt, adquam taxationem intra quindecim dies tunc immediatè sequentes, idem Capitulum vel maior pars sub pœna suspensionis, quam in his scriptis ferimus, faciendam teneantur: quod si non, ipso factò post dictum annum & quindecim dies pœnam suspensionis ab officio & beneficio, quam in his scriptis in sic contrafacientes promulgamus, inevitabiliter incurrant.

CAPVT LXXI. STATVTORVM EIVS-
dem D. Friderici.

Praterea sub pœna excommunicationis, quam etiam in his ^{libra.} scriptis ferimus, in quemlibet contrarium facientem, distri-
ctè prohibemus ne de cetero quisquam domos Capitulares siue hereditarias, ab aliqua Ecclesiarum dependentes, quas Canonici seu Beneficiati ipsius Ecclesie inhabitare consueverunt, Laicalibus, seu extraneis personis quibuslibet concedere, dare vel locare, committere seu vendere ad inhabitandum, aut in eis nuptias, aut choreas publicas, vel alia secularia negotia exercendū, vel alios quoslibet usus præsumant.

Et si fortè actu aliqua domorum huiusmodi, locata, commissæ, vel concessæ sint, locationes, commissiones, & concessiones huiusmodi, illi ad quos pertinent domus, intra duos menses post publicationem præsentium immediatè sequentes, quos ipsis & eorum cuilibet, pro monitione Canonica assignamus studeant sub pœna excommunicationis antedicta, cum effectu reuocare. Quas etiam & nos nostro ex officio reuocamus.

30. Innouamus similiter quæ de immunitatibus Ecclesia-

Pag. 15. b.

elefuarum Collegiatarum muro cingendis, in Concilio prouinciali sub Conrado Archiepiscopo cap. 14. praescripta sunt, earumque portas & valuas, quae collapsae sunt, vel alio modo perierunt, innouari & restitui volumus. Quod ut sine molestia & cunctatione perficiatur, Magistratum civilem paterno affectu conuenientes, hortamur, ut suo fauore ac patrocinio hoc ipsum promoveat, & ea deuotione & sedulitate in hoc conspiret, quae decet Ecclesiasticae libertatis ac integritatis defensores ac vindices Ecclesiarum Praelatis omnibus modis aduocari, & pia eorum studia comprobationis, consensus, & potestatis suae adminiculo tueri ac fouere.

DE SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONE.

1. **C**VM nouae legis Sacramenta ad vitam, salutem, & sanctificationem omnium hominum à Christo Domino instituta sint; ea reuerentia; praeparatione; fiducia, ac pietate, & administranda, & suscipienda sunt; ut eorum tractatione & usu, uberiorem indies gratiam consequantur, & qui illa administrant, & qui eadem suscipiunt.

Cap. Maximus.
Dist. 81.

2. Curent itaque sacerdotes quotquot Sacramenta administrant, non solum ut Sacramentorum formas perfecte, & debita cum attentione pronuncient, omniaque & singula, quae ad substantiam Sacramentorum & externum rei praesentis decorem, ac maiestatem pertinent, grauius & reuerenter exequantur; sed &, ut ipsi ab omni re, quae diuinam maiestatem offendere quoquomodo possent, sancti sint & immaculati; ne dum aliorum salutem promouere student, sibi ipsis grauiorem damnationem acquirant, & indignis modis Sacramenta tractando, indignationem ac iram Dei super se ac populum inducant.
Et quam-